

XX

AD PYRRHVM

Strophe Sapphica

Nōn vidēs quantō moveās perīclō,
Pyrrhe, Gaetulae catulōs leaenae ?
Dūra post paulō fugiēs inaudāx
Proelia raptor,

Cum per obstantēs iuvenum catervās
Ībit īnsīgnem repetēns Nearchum :
Grande certāmen, tibi praeda cēdat
Māior an illī.

Interim, dum tū celerēs sagittās
Prōmis, haec dentēs acuit timendōs ;
Arbiter pūgnae posuisse nūdō
Sub pede palmam

Fertur, et lēnī recreāre ventō
Sparsum odōrātīs umerum capillīs :
Quālis aut Nīreus fuit, aut aquōsā
Raptus ab Īdā.